siue oracionum intuitu turbe populorum confluerent. Ceci, claudi, paralitici, surdi, epilentici et diuersarum infirmitatum homines illic sanabantur et vt ajunt eciam mortui in eodem loco suscitabantur. Adhuc enim magister Cunradus vixit, cujus studio eadem miracula ex parte conscripta sunt. Non solum ex prouincia Maguncienci atque Treuerensi, imo eciam ex prouinciis remocioribus Coloniensi videlicet, et Bremensi atque Meydeburgensi oracionum siue sanitatum gracia constat plurimos Marburg aduenisse. Aliis recedentibus alii occurrebant, sanitatem consecuti dei virtutem venientibus nunciabant. Plurima ibi oblata sunt, ex quibus ecclesia lapidea super sacrum ejus tumulum erecta est. Ego circa idem tempus ibi fui, et non recordor me in tota vita mea tantum simul vidisse populum quantum in oppido Marburg et circa illud tunc temporis aspexi. Vix aliquis in ecclesiam sine magno labore intrare vel exire potuit. Non multo post magister Cunradus a quibusdam quos ipse de heresi infamauerat, cum ministro suo, fratre Gerardo, occisus est et in eadem ecclesia

~~+ T. l. ff. pro epilep. […]~~

218 hui

B.

143